

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,

DE MICTV CRVENTO,

QVAM

VELIFICANTE NVMINIS SVPREMI GRATIA,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAR. COMITE, JVRID. FACVLT. ASSESSORE,
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITAT. SYNDICO
ET CONSVLE,

INCLYTO MEDICORVM ORDINE IN PER-ANTIQA
HAC HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,
SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI SENIORIS,

DN. D. HERMANNI PAVLI JVCHII,

SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLIC. ET ARCHIAT.
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. PRIMAR. ACADEM.
CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGÆ,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ET IMMVNITATIBVS

RITE ET SOLENNITER IMPETRANDIS,
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET
AVTOR ET RESPONDENS

Gottlieb Sämricht/ Nerckwicensis-Thuring.

MED. PRACT. BVRGELENSIS.

DIE XXX. OCTOBRIS MDCC XXXIII.

AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Literis HERINGII, Acad. Typogr.

mob. spec. 1498

ol. spec.

46,86

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines across the page.



DISSERTATIONIS
DE
MICTV CRVENTO
PROÆMIUM.



Excretionum sanguinearum, quæ sponte fieri in corpore humano observantur, exactiorem considerationem in theoria vere medica amplissimum sibi vindicare locum, quin summæ esse utilitatis ac plane necessitatis, nisi velimus maximam partem pathologiæ, & huic congruentis directionis therapeuticiæ perdere, illi demum intelligant, qui œconomix vitalis rationem & administrationem tam in statu sano, quam morboſo cognitam habent atque perspectam. Abundantia enim sanguinis frequentissime, præsertim sub vitæ genere, quod mortalibus maxime placet, lautiori & otioso ac victu pleniore, eveniens, imo etiam sub certa ætatis periodo, consveta

& necessaria, licet in hominibus animi sedatioris & moderati, facile & sine insignibus incommodis diu tolerari possit, in illis, qui indolis sunt agilioris, cito & levi data occasione exagitari, commoveri ac intumescere solet, ex qua commotione cum vasa & meatus quas transire sanguis necesse habet, oppleantur, humorum motus progressivus prægravetur, retardetur, & difficilior reddatur, ex cujus tamen libero & prompto successu ipsius sanguinis integritas, & totius corporis incolumitas primario dependet; fieri aliter non potest, quin primo pericula, & si his non eatur obviam, deinde maxima sanitatis damna & detrimenta difficulter superabilia, quin ipsius vitæ interitus, emergant. Cum itaque ultimus & directus vitam & sanitatem conservandi actus, uti ex physiologia notum esse potest, sint secretiones & excretiones in statu ordinario & sano, nullumque aliud suppetat remedium in negotio vitali præsens & efficax contra quamcunque materiam corpori noxiam aut nocituram, quam hujus è corpore proscriptio, eliminatio atque expulsio, hac etiam unica & trita via corpus actu sartum tectumque servatur; mirum non est, sed rationi maxime consentaneum. Si principium actionum vitalium præses, quod HIPPOCRATES *Lib. VI. Epidem. S. V.* aptissime ita describit: *ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐῴσκει, καὶ ἐμαθῆσα τὰ δεόντα ποίει;* Natura quæ non est edocta & non didicit, facit ea, quæ fieri decet; tam salutare sibi remedium, & usitatam in statu ordinario & tranquillo methodum conservationis corporis, nimirum actum secretionis & excretionis, adhibeat quoque in statu hoc extraordinario, & periculo à pletho-

tho-

thora impendente, & partem aliquam sanguinis pondere & mole gravantis per hæmorrhagiam è corpore ejiciat, atque ita multos gravissimos nullo alio modo tam facile evitabiles, brevi hac & compendiaria via præoccupet atque devitet. Hoc autem adminiculum & evacuatio sanguinis, si semel aliquid levaminis attulit, multo minus mirandum, si natura in simili causa eo magis ad illam quasi annitatur, variosque eo tendentes motus & molimina laboriosa, nec parum etiam molestiæ secum vehentia, instituat. Sicuti autem hæc omnia revera ita sese habent, & utilitas evacuationis hæmorrhagicæ a priori satis elucet; ita monstrat omnino atque confirmat eandem à posteriori experientia quotidiana, quæ ipsi etiam vulgo manifestum est, quod difficillima mala, & gravissimi dolores, æstus, anxietates, palpitationes cordis, suffocationes, arthritides, & variæ hypochondriaco-hysterico spasticæ affectiones, superveniente hæmorrhagia, sensibilissime non solum solvantur, vel mitigentur, imo subinde momentis evanescant, sed & sub libero, facili & tempestivo hæmorrhagiarum successu plane non eveniant; his vero iterum cessantibus, suppressis, cohibitis, aut molientibus, sed non perumpentibus, confestim rursus recrudescant, & vel mox ad funestum deproperent exitum, vel aliquamdiu mitigata & dissimulata, eo pertinacius affligant: quæ omnia sicut passim in suis scriptis, ita speciatim & nervose deduxit illustr. Stahlius in propemptico de consulta utilitate hæmorrhagiarum, quod Disput. de erroribus medicinæ practicæ sub ejus præf. habitæ annexum. Quanquam au-

tem hæmorrhagiarum legitime succedentium tam destinationo, quam effectus revera salubris abunde pateat; nemo tamen, quem scio, eas inter res naturales vel non-naturales medicis dictas absolute & omni respectu referre ausus, exceptis evacuationibus mensuris in sexu sequiori: in sexu enim masculino sub exquisita sana constitutione corporis non fieri debent, aut quoties fiunt, præternaturalibus causis merito tribuendæ. Illam tamen opinionem sana & vere medica pathologia nunquam sibi patietur eripi; hæmorrhagiam simplicem spontaneam, tacite coortam & legitime succedentem fieri potius secundum naturam salutariter, & in conservationem corporis; in subjectis præcipue plethoricis aut jamjam evacuationem sanguinis expertis, utilius fieri quam non fieri; proinde sua laude non esse defraudandam & pro re simpliciter præternaturali habendam. Qui vero illud mente comprehendere non potest; tribui aliquid causis præternaturalibus, quod tamen in se præternaturale non sit; distinguat saltem inter causam efficientem & objectivam, & statim intelliget, hæmorrhagiam simplicem & legitimam non esse morbum, sed morborum remedium, ad morbos evitandos, avertendos, aut depellendos adhibitum, nisi per accidens fiat morbosum: aliud enim est à causa præternaturali produci, aliud propter causam præternaturalem, & ad eam superandam institui. Porro discernat rem secundum naturam in statu ordinario fientem ab illa, quæ fit in statu extraordinario & morbofo, & nihil in asserto nostro contradictorii inveniet, sicut etiam in moralibus dantur bona extraordinaria, quæ
in

in ordinariorum numerum referri nequeunt. Qui vero concedunt, hæmorrhagias esse quidem salutare, negant autem eas destinato & consulto à principio intelligente, quod earum causam, nimirum plethoram, prius in corpore admiserat, sine læsione suæ rationalitatis posse produci, reputent, multa ab hominibus etiam rationaliter appeti, quæ si sint consecuti, ipsis oneri fiant, damno & detrimento. Neque existimandum est, hanc nostram assertionem de utilitate hæmorrhagiarum, esse rem sterilem, aut mere speculativam. Ea enim ipsa non solum præbet fundamentum venæsectionis prudenter instituendæ, sed etiam medicum in praxi clinica manuducit ad motus & molimina, ad hæmorrhagias destinata & directæ, multa autem incommoda, quæ in vulgari pathologia longe aliis causis adscribuntur, secum ferentia, intelligenda, observanda, sublevanda & moderanda. Certe si medici œconomiam vitalem, & motuum eo pertinentium providam administrationem & gubernationem attentius considerarent, quam nudam structuram corporis mechanicam: si methodum naturæ autocraticam, quotidie obviam & solemnem, tandem agnoscerent: si in morbis quibuslibet motus naturæ activos, salutare, contra peccantem materiam directos & susceptos sollicitè discernèrent à motibus passivis sive alterationibus, corpori à causa morbifica evenientibus & illatis, longe aliam theoriam medicam, & praxin magis rationalem, ac theoriæ respondentem haberemus. Sed furdo narratur fabula, & homines, uti loquitur satyricus, opertis oculis bona sua computant. Inter ipsas autem hæ-

morr-

morrhagias, quas salutare hactenus declaravimus, magnum intercedit discrimen ratione suæ salubritatis, & boni ac laudabilis eventus, ita, ut licet omnes optimo fine suscipiantur, quædam tamen propter varias concurrentes causas, imprimis ratione loci evacuato-rii minus idonei, sæpe plus damni quam utilitatis, & eventus sæpe funestos secum vehant. Inter quas cum etiam numerandus sit mictus cruentus, ejus autem indoles ab autoribus nondum satis evoluta videatur, suscepi hunc laborem, ut more academico specimen inaugurale ejus tractatione ederem. Faxit itaque Deus ut in hoc negotio veritatem, & inde fluentem utilitatem practicam assequi valeam.

TRACTATIO.

§. I.

Mictus cruenti denominatio nullam habere videtur ambiguitatem, ideoque non opus videtur, ut circa ejus etymologiam multum simus solliciti. Mictus enim proprie denotat urinæ emissionem; quando tamen cum urina vel sanguis vel pus, aut aliud insolitum quid prodit, ab adjecta illa & concurrente materia, mictio dicitur vel sanguinea vel purulenta. Hinc etiam hic affectus appellatur magis mictus cruentus vel sanguineus, quam sanguinis; licet & hæc appellatio, scilicet sanguinis mictio & sanguinem mingere, propter magnam partem sanguinis cum urina commixti auctoribus practicis non sit insolens. Sinceri enim sanguinis ab urina non alterati per vias urinarias in mictu cruento effluvium est rarissimum, & vix solet contingere, nisi cum impetu fiat, aut rupta intus vena, sanguis ubertim & subito profluit. Græce dicitur *ἕρξεν τὸ αἷμα, & αἷματῶδης ἕρξις*.

§. II.

§. II.

Illud autem hoc loco prætereundum non est, quod *ἔρα* *αἱματώδης*, & *ἕρσις αἱματώδης*, quorum HIPPOCRATES in *Coac. prænot. p. 120. §. 22. 162. §. 272. §. 213. §. 581. edit. Foës.* mentionem facit, GALENO & aliis commendatoriis exponantur *ἔρα ἐζερύδρα*, urinæ prærubræ, intensæ rubræ; quales autem sint ejusmodi urinæ prærubræ, an sanguinem revera contineant, an vero sanguineum saltem & rutilantem exhibeant colorem, uti in nimio sanguinis æstu, aut etiam in hydro-pico-œdematosis stasibus fieri solet, ab iis haud explicatur. Dubium tamen non est, quin Hippocrates allegatis locis, præcipue vero p. 162. urinam vel mictionem vere cruentam intellexerit, id quod ipse etiam contextus indicare videtur.

§. III.

Ut breviter explicemus, quid sub nomine mictus cruenti intellectum velimus, sequentem damus definitionem: mictus cruentus est species hæmorrhagiæ, qua sanguis ad vias urinarias congestus & incumbens vel per renes, & furculos vasorum emulgentium, vel per ipsam vesicam ex vasculis venosis collo ejus implantatis secretus, una cum urina sponte & citra violentiam externam emittitur.

§. IV.

Dicitur autem mictus cruentus hæmorrhagiæ species, quia plures dantur v. g. hæmorrhagiæ narium, hæmoptysis, vomitus cruentus, hæmorrhoides, hæmorrhagiæ uteri in foeminis: ad quas mictum quoque cruentum merito referri, sanguis cum urina in notabili sæpe quantitate commixtus, & hinc satis conspicuus, & statim dignoscendus confirmat. Quando vero parum sanguinis excernitur, ut urina saltem appareat ex nigro rubra, crassa & obscura, hujus consistentia turbida, & matura subsidentia, maxime autem ipsum sedimentum sanguinem mox prodit, & discrimen utriusque substantiæ offert.

§. V.

Eo autem ipso, dum mictum cruentum dictis hæmorrhagiis annumeramus, assatim jam apparet id, quod ultimis de-
B
fini-

definitionis verbis apertius declaratur, nimirum hujus loci proprie non esse illam cruoris per vias urinarias & una cum urina emissionem, magis symptomaticam, quando rupta intus vena est; aut casus violentus antecessit, sive ictus aliquis est, sive grave onus levavit, sive ex alto cecidit, aut quid hujusmodi perpessus est injuriarum; aut quando etiam à calculo asperiore vasculum aliquod sanguiferum dilaceratum est: verum præsens nostra tractatio maxime respicit illum mictum, qui magis activus, & magis simpliciter & directe consurgit, tacitis quasi sive emissoriis sive expressoriis motibus.

§. VI.

Hanc autem spontaneam mictionem cruentam statuimus duplicem, quarum altera à renibus, altera à vesica trahit originem. Nonnulli quidem scriptores, imo plurimi dubitant, an à vesica, sine læsione in continuitate mictus cruentus evenire possit, cum plane sit ad talem evacuationem inepta, tam propter tunicæ internæ densitatem, quam insignium ramorum sanguiferum defectum: & communis fere est opinio mictum cruentum spontaneum non posse nisi à renibus oriri. Alii quidem nobiscum sentiunt, quod per vesicam sine læsione continui sanguis possit excerni; inter quos rursus alii denominationem mictus cruenti retinent, uti inter alios excell. FRID. HOFFM. *in medicina consult. Dec. I. cas. IX.* & observatores, qui ibidem allegantur; alii vero nomen hæmorrhoidum vesicæ substituunt, illasque à mictu cruento, quem unice à renibus descendere putant, distinguunt, uti celeb. GOHL. autoritate Coelii Aureliani ductus, *in act. med. Berol. Dec. I. Vol. VII. S. I.* & in suo compendio praxeos clinico olim à Blazerò edito, nunc vero ab autore reviso, & observationibus aucto. Huc quoque refero observatorem innotatum *Dantiscanum in annal. physic. medic. Vratisl. de anno 1720. Mens. Maj. p. 516.* quem tamen celeberrimum Kulmum fuisse suspicor. Nobis ea placet sententia, unum ab altero tam theoretice quam practice distinguendum quidem esse, nihilominus utrumque uno nomine generali satis commode vocari.

§. VII.

§. VII.

Verum ut appareat, quænam differentia intersit, utriusque historiam & signa diagnostica tam communia quam propria brevibus adducam. Uterque affectus è reliquis omnibus sanguinis excernendi modis est satis rarus: sexui tamen tam masculino quam fœminino, illi tamen sæpius evenit, & quidem in ætate virili florida, ac senili, præcipue autem in subjectis plethoricis, & aliis sanguinis excretionibus jam antea asvetis. Uterque fundit sanguinem urina dilutum, cum aliaquali tamen differentia. E renibus qui procedit, exhibet sanguinem copiosorem, sincerum, floridum, nisi quantum ipsa urinæ falsedo, consistentiam ejus quodammodo alteravit aut mutavit. Senioribus qui obtingit, quanto magis libere sibi constat, tanto certius fit tacite & fere sine sensu patientis, præter levem aliquam tensionem & gravitatem in lumbis; prægressam etiam aut concurrentem fatigationem totius corporis. Juniores qui occupat, affectus nephriticos aut præcursores habet, aut comites, aut brevi expectandos. Sub ipso vero largiore proventu accidit haud ita raro, ut sive in uretere, sive in ipsa vesica, diuturniore mora coagulatus sanguis, gravem deinde pressionem formet in collo vesicæ, & vix cum magno nisu, nec tamen sine dolore valde pressorio excuti possit. In uretere qui ita coagulatus est sanguis vermem quasi spithamæ longitudine, & calami olorini crassitie referre solet.

§. VIII.

Ab hoc mictu cruento renali discernitur ille, qui à vesica provenit, signis maxime sequentibus. Magis invadit juniores in ætate virili florida constitutos, quam senes, neque sanguinem tam floridum & copiosum excernit, sed magis effœtum, fuscum, nigrum & quasi adustum, qui urinam interdum magis atro tantum & fusco colore tingit, quam rubicundo. Nullus hic sentitur dolor aut gravitas in lumbis & coxis, nec ullum indicium nephritidis aut calculi præcessit, aut secutum est. Signum vero proprium & essentiale hujus affectus est dolor pressorius in regione pubis satis sæpe

fenfibilis, cum gravitate & lassitudine corporis. Descendit hic dolor interdum ad scrotum usque & perinæum. Accidit hæc sanguinis excretio, aut promovetur fortiori corporis motu, vel ambulando vel equitando, vel curru vehendo susceptus, ubi in urina major copia sanguinis, & proinde statim primo aspectu dignoscendi conspicitur. Quando vero corpus servatur quietum, urina saltem mingitur crassa, obscura, nigra, parum sanguinis continens, brevi tamen mora sedimentum præbens similiter obsoleti fusci, & adustioris coloris, quod à sanguinis parte crassiore dilabentibus in ipsa secretione languidiore fluidioribus partibus, originem traxisse probabile est. Excell. HOFFMANNVS attribuit huic mictui frequentem mingendi conatum, ardorem in ano cum tenesmo, dolorem pungentem, lancinantem in pene & perinæo, quæ tamen symptomata perpetua & propria esse non solent. Neque mingendi difficultas, ejus signum essentialiale & pathognomonicum est, uti censet celebrer. GOHLIVS in suo comp. prax. clin. l. c. illud autem videtur à ratione non alienum, posse concurrere utrumque hunc fluxum, tam renalem, quam vesicarium, aut alternis vicibus agere, & unum in alterius locum substitui, qualis videtur casus Hoffmannianus supra allegatus.

§. IX.

Pro confirmatione hujus differentię placet notabile aliquod exemplum, quod specimen mictus cruenti è vesica prodeuntis præbet, adducere. Vir annorum 50. sanguineo-melancholicus, in pueritia & adolescentia hæmorrhagias narium sæpius expertus, ab anno vero ætatis XXIV. usque ad virilem ætatem pectoris affectibus, imprimis tussi vehementiori, & diuturna, crebrius exercitus, postea vero sic satis commoda fruitur valetudine. Cum autem muneris, quod gerebat, ratio eum frequentioribus tam animi, quam corporis motibus exponeret, incidit in febrem æstuosam, & sudoris largissimi feracem, in principio instar febris continentis, quam Græci *εὐροζορ* vocant, invadentem, mox vero in typum tertianarium, & tandem quartarium, simplicem & compositum trans-

eun-

euntem, & fummis semper anxietatibus præcordialibus, spirandi difficultatibus, suspiriis anhelosis stipatam. Quam cum aliquoties recidivam, denique evasisset, & corpus ambulando vel equitando liberius iterum movere cœpisset, urinam excrevit cruentam ex atro rubentem, turbidam, obscuram, quæ ubi refrixit, sedimentum veluti sanguinis concreti exhibuit; quam proxima autem reddebat vice urinam, sana erat, & sine ullo sanguinis vestigio. Post rursus autem susceptum motum fortiorem, eundem incurrit mictum, imo pro gradu motionis magis aut minus saturatum; & hoc toties contingit, quoties plus solido corpus commovetur, sine ullo tamen dolore in lumbis, aut prægresso & concurrente indicio calculi & nephritidis, aut hæmorrhoidum, de quibus affectibus nihil unquam sensit patiens. In pectine autem circa collum vesicæ percipit dolorem pressorium, ab initio quidem leniorem & rariorem, successu vero temporis & fortius & frequentius, non tamen continuo affligentem, & ad scrotum usque descendentem: & licet hæctenus sub vitæ genere quietiore rarius sanguinem excreverit; dolor tamen in regione pubis non cessat, & urina sedimentum format obsoleti coloris. De cætero vivit patiens sine ullo alio incommodo, præterquam quod angustia pectoris, & sensu gravativo in toto corpore interdum afficiatur: qui status ad tres aut quatuor annos duravit. In quo certe casu ne ulli quidem suspitioni locus est, quod affecti fuerint renes, aut sanguis ab his ortum duxerit: cui igitur alterum ad latus ponimus, de quo res magis est dubia; vir annorum LXII. sanguineo-melancholicus, plethoricus, otiosus, vinosus, subiracundus, media sua ætate affectibus hypochondriacis, & cordis palpitatione infestatus, indeque venæsectionibus assuefactus, ab annis vero VIII. vel IX. semel ad minimum in anno, præsertim autumnali tempore, sinistri genu & femoris dolore tensivo & sublancinante per plures dies vexatus, cum hæctenus ultra duos annos propter ætatem, ut solent, venæsectionem omisisset, Junii mensis initio rheda ultra tria milliaria vectus, & vino ejus temporis bono atque forti Erffurtensi largius usus, iterumque rhe-

da revertens, concussis à vectura impetuosius lumbis, incidit in copiosam sanguinis mictionem, citra ullum tamen sensum, neque in lumbis, neque vesicæ regione, nisi quod versus tertium diem dolor pressorius in pectine, & temporaria urinæ suppressio succederet, quæ tamen expulsis grumis sanguinis iterum remittebat.

§. X.

Hanc differentiam HIPPOCRATES quoque indicasse videtur *Lib. IV. aph. 78. § 80.* quamquam interpretes utrumque aphorismum magis de symptomatico mictu cruento expli- cent, & ἀπὸ ταυτομάτης potius ex improvise, derepente & confertim, quam sponte & ultro significare putent: de qua tamen symptomatica sanguinis mictione nullum est dubium, quin tam ex renibus, quam vesica in continuitate læsis, possit contingere.

§. XI.

Planius & apertius loquuntur ex veteribus Aëtius & Cœlius Aurelianus: ille quidem de mictu sanguinis spontaneo ex renibus; hic vero de vesicario, cujus etiam autoritate per- motum Gohlium hunc hæmorrhoides vesicæ appellasse supra diximus, & merentur loca ipsa transcribi ita enim AETIVS *Lib. XI. Cap. III.* Quidam inquit, per circuitus quosdam sanguinem è renibus excernunt, simili modo ut ex hæmorrhoidibus in sede fieri consuevit; & in principio quidem propterea, quod citra ullum aliquem dolorem excernitur, nihil in totum mali formidant ægri; ubi vero diuturnior fuerit affectio, & aliquando cohibeatur, quod pro more excerni consuevit, gravitatem inducit, aliorumque pessimorum morborum causa existit, sanguine nimirum ad alias partes dilabente. Articulares enim affectiones in aliquibus ex cohibitione accidunt, aut vertigines, aut deliria ex atra bile, & insania, aut oculorum cœcitates, qualia etiam mala ex hæmorrhoidibus cohibitis contingunt: ut plurimum vero in malum habitum corporis, & hydropem delabendi aptitudo inde oboritur. Manifestum autem fit sanguinem è renibus excerni, quod ipsi ægri excre-
ti

ti sanguinis transitum juxta renum locum sæpe sensu percipiunt, & maxime cum urina admixtus sanguis reperitur: ab hoc fluxu idiopathico discernit mox symptomaticum verbis sequentibus: quidam autem sanguinem ex renibus excernunt propter venæ rupturam in renibus factam, quemadmodum contingit his, qui grave onus levarunt, aut valde saltarunt, aut ex alto ceciderunt, aut aliud quidpiam tale violentum pertulerunt. Hæc ille.

§. XII.

Cœlius autem AVRELIANVS *Lib. V. tard. pass. Cap. IV.* hæc profert verba, notatu dignissima: solent, sicut in podice, vel foëminarum sinu, aut matricis collo, etiam in vesica hæmorrhoides generari, quæ fluorem sanguinis præstant, quibusdam intervallis variatum: quod oportet apprehendere prudentem, cum non coacervata primo fluit effusio, sed augmentis quibusdam promota, interjectis defectioibus, ac sæpe retento sanguine, doloris pubetenus admonitione attestante cum tensione inguinum & gravedine clunium, vel renum consensu, & cum sanguis eruperit, supra dictorum relevatione sequente: siquidem aliquando inflatæ & tumentes hæmorrhoides difficultatem vel abstinentiam faciunt mictus, dysuriam Græcis vocatam vel ischuriam. Archigenem autem hæc eadem, sed rotundius declarata tradidisse, memorat HEVRNIUS *in scholio ad HIPPOCRATIS Lib. IV. aph. 78.* his verbis: ut statis periodis menses & hæmorrhoides; ita & certis vicissitudinibus interdum plethora sese effundit per renes & vesicam: hoc fit apertis à natura venis.

§. XIII.

Quamquam autem talis evacuatio per urinarias vias ordinata, stato & certo tempore periodice eveniens, utique satis sit rara, illud tamen ex praxi clinica observatum fuit sæpius, quod illa in genere cum hæmorrhoidibus magnam & apertam habeat conspirationem, & cognationem propinquam, ita ut etiam inter se facile permutentur, & sibi invicem succedant, aut illi, qui ad has sunt proclives, data occasione in illum potius prolabantur, antequam nimirum hæ
per.

perrumpant, nec non, si hæ jam progressæ & exitum nactæ, postea vero rursus suppressæ fuerint, illa harum locum & vices subeat.

§. XIV.

Hæc igitur longius hætenus adducta, uti non sunt opinionum commenta, sed ex observationum clinicarum penu depromta: ita nobis viam monstrant, ad ipsam pathologicam & causalem hujus affectus considerationem melius adorandam. Easdem enim mictus cruentus cum reliquis hæmorrhagiarum speciebus agnoscit causas generaliores, eademque instrumentali perpetratur ratione; specialiori autem modo cum hæmorrhoidibus convenit, non solum, ut dictum, ob faciliorem inter se permutationem, sed ob vicinitatem loci, & partium affectarum communionem ac societatem: ab iisdem autem discrepat imprimis ratione peculiaris loci evacuatorii.

§. XV.

Causa itaque tam materialis, quam occasionalis, & antecedens remota est plethora sive abundantia sanguinis. Ubi vero bene notandum, quod minime intelligamus plethoram simplicem atque tranquillam, utpote quam absolute morbos non producere, numerosissima plethoricorum exempla, qui ab hæmorrhagiis æque ac ab aliis affectibus immunes vivunt, testantur: sed sermo nobis est de plethora commota, ad exitum & eruptionem jam inclinante atque spectante, aut talem jam antea pluribus vicibus affecta & nunc denuo affectante. Causam autem proximiorum constituit humoris ita abundantis decubitus, congestio & destinatio ad certam regionem corporis, & in specie ad aliquem specialem locum excretorium, uti in nostro casu ad renes & vesicam urinariam. Quo loco memori mente tenenda est differentia hæmorrhagiarum secundum ætates, qua etiam loca excretionis variare solent, ita ut ordinarie pueris eveniant narium hæmorrhagiæ, adolescentibus & junioribus hæmoptyses, virili & senili ætati hæmorrhoides & mictus cruentus, nisi casu & fortuito permutentur, & stationem semel occupatam vel diutius retineant,

neant,

neant, vel rursus postliminio repetant. De cujus rei explorata veritate & certitudine à posteriori, uti quotidiana, & in vulgus etiam nota experientia dubitare non finit, & cui etiam ründamentum morborum ætatum sive certis ætatum gradibus priorum, quorum HIPPOCRATES mentionem facit *Sect. III. aph. XXIV. & sequ.* innititur: ita de causa determinante, & hæmorrhagias secundum diversos ætatis gradus ad certa loca evacuatoria, v. g. in ætate virili & senili ad anum in hæmorrhoidibus, ad renes & vesicam in nostro affectu dirigente, pluribus hoc loco tractare, ubi de speciali quadam hæmorrhagia, nempe mictu cruento, agimus, non opus esse arbitramur, præprimis cum talis disquisitio, nostra quidem sententia, magis ad generalem hæmorrhagiarum physico-pathologicam ætiologiam, quam ad medicam clinico-practicam considerationem pertineat, & nobis abunde sufficere possit, quod omnino à posteriori res omni modo ita sese habeat. Cui vero volupe est, rationes illas, quibus hæmorrhagiæ, & ab his dependentes morbi ad diversa loca & regiones corporis pro diversis ætatis gradibus determinari solent, cognoscere, conferat illustr. G. E. STAHL. *Disput. de morborum ætatum fundamentis. Cap. V.*

§. XVI.

Activum ejusmodi appulsus, & directum magis, quam fortuitam sanguinis congestionem ad loca excretoria manifesta ostendunt, tam in reliquis spontaneis hæmorrhagiis, quam præsentis nostro affectu concurrentia phænomena, ex quibus quædam saltem, brevitatis causa, lubet adducere: nimirum (1) sensus & dolores prementes, tendentes, gravativi & lancinantes, hæmorrhagiarum prodromi & longo sæpe tempore eas antecedentes, non solum in ipsa parte, qua sanguis erupturus est, & in ejus vicinia, sed etiam in ampla satis circumcirca regione, quin non raro distita parte sese exferentes, & non nisi post secutum effluxum statim cessantes: (2) usitata hæmorrhagiarum metastases, ut si uno in loco vel viarum vitio, vel incongrua arte impediuntur & cohibeantur, & in altero sæpe satis longinquo, rursus pro-

C

rum-

rumpunt, testantibus id pluribus exemplis practicis, quod suppressis hæmorrhoidibus mictus cruentus, & vice versa, evenerit, aut quod mictu cruento incongrue per adstringentia cohibito, translatio humorum ad fauces inflammatoria, & anxietates præcordiales, uti in casu secundo supra allegato, successerint: uti in supra allegato casu secundo memoratum fuit. (3) Facilitas ad asvescendum, ut, cum semel per hunc vel illum locum sanguis exitum aliquem nactus sit, sequente tempore levi data occasione, nec adeo urgente causa materiali & plethora ad eundem feratur ac compellatur. (4) Reversio secundum statas & certas temporis periodos, quæ licet quibusdam hæmorrhagiis specialioribus magis eveneniat, reliquis tamen etiam, licet rarius, solet esse familiaris. Pleni enim sunt observationum libri ejusmodi periodicis sanguinis evacuationibus, & mictus quoque cruentus in sene 63. annorum æque ac aliquot vetulis menstruus annotatus fuit: (5) facilis concitatio in plethoricis aut jam antea tales imminutiones sanguinis expertis; & contra fluxuum ejusmodi actu fientium suppressio per animi pathemata, iracundiam aut terrorem. Quæ certæ circumstantiæ probe collectæ & perpensæ, subductisque undique rationibus æstimatæ, liquido demonstrant in omnibus hæmorrhagiis certam directionem ac intentionem ad utilitatem corporis spectantem potius subesse, quam nudas causas mechanicas, aut passivum sanguinis lapsum, à viarum obstructione vel erosione ab humorum acrimonia inducta dependentem atque profectam.

§. XVII.

Causæ instrumentales tam ad tales congestiones perpetrandas, quam ad ipsum actum excretionis hæmorrhagicæ producendum aptæ & habiles, sunt motus tonici auctiores, quibus sanguis, tum ad illam regionem aliquando latius, tum magis privatim ad immediatum locum exitus ita constringitur, ut ibi distensione vasorum, & denique orificiorum extremorum, per modum talem expressionis, exitus ita obtineatur. De hujus motus tonici in omnibus corporis vivi partibus

tibus

tibus solidis mollioribus naturaliter vigentis existentia, sicut nemo amplius dubitare potest, postquam ab illustr. STAHL. in lucem fuit protractus, & perspicue explicatus, ita pariter evidens est, quod hic, inquam motus, directorium sit instrumentum, quo sanguis universaliter motu & pulsu cordis impulsus, ad certam partem præ aliis dirigitur, compressis vicinis vel oppositis quoque ramis, partim incumbentium & transmittentium constrictione; unde lege hydraulica per liberam inter has relictam viam, & ad liberam relictam partem, tono ejus etiam satis proportionate remisso, si parti ipsi destinetur missio, copiosior fit appulsus, decubitus & infarctus in partes dicto modo affectas, quem necessario consequitur fibrarum extensio & pressio, hanc vero, cum omnis sensus in tonici motus ordinarii alteratione consistat, dolores varii supra dicti prementes, lancinantes, & tandem osculorum venosorum apertio excipiunt. Non quidem ignotum est, quod secundum vulgarem theoriam medicam, in tali copiosiore sanguinis irruptione in partem aliquam, accusetur specialis ejus debilitas, elateris destructio, stimulatio à salibus acris causticis &c., verum si sub hisce denominationibus intelligant activam toni remissionem, habent nos consentientes; sin vero passivam ejus laxitatem & læsionem existiment, eorum sententiam amplecti non possumus; nec etiam lubet, in ejusmodi male fundatis opinionibus recensendis tempus terere. Veteres quoque diversos formaverant conceptus circa hæmorrhagiarum modos fiendi, & triplici maxime ratione illas contingere putabant, nimirum vel per *ἀναστόμωσιν*; osculorum venosorum apertionem, vel per *διαπήδησιν*, transcolationem sive transfudationem, vel per *διάρρησιν*, vasorum erosionem atque rupturam: è quibus duo illi priores, si recte accipiantur, utique locum habent.

§. XVIII.

Huc usque autem enarratæ causæ sunt generaliores, quas mictus cruentus cum reliquis hæmorrhagiis, tanquam certa earum species, communes habet. Ad causas autem magis proprias, & proximius mictionem sanguineam inducentes,

pertinent (1) congestio & decubitus humorum ad hypochondria & partes inferiores, ætate virili eo inclinans, qui antequam per tritam magis viam, & venas hæmorrhoidales perrumpat, accedentibus externis occasionibus per lumborum & hypochondriacæ regionis succussionem fortiolem, equitatione aut ventione in curru incommodiore illatam, vel per medicamenta diuretica acriora propinata, ad renes aut vesicam fertur, & in his partibus exitum invenit: (2) hæmorrhoidum prægressarum & jam assuefactarum, tam externarum quam internarum suppressio & cohibitio, antequam ipse sanguinis orgasmus, & prorumpendi impetus fuerit mitigatus, aut per vicariam depletionem, venæsectione susceptam sublevatus & extinctus sit. Hinc etiam evenit, ut mictus cruentus tam illis, qui hæmorrhoides nondum sunt experti, quam, quibus ipsæ non prompte succedunt, aut suppressæ fuerunt, eveniat.

§. XIX.

Cum autem supra decubitum sanguinis ad hypochondria & partes inferiores pro causa antecedente declaravimus, simulque mentionem fecimus tam renum, quam vesicæ, quæstio nunc ventilanda est, quodnam sit genuinum nostri affectus subjectum, & quæ sedes; aut in quam maxime parte fiat sanguinis, qui cum urina deinde redditur, extra sua vasa & retinacula, effusio. Plurimi enim in ea sunt sententia, quod omnis sanguis, qui sponte mingitur, solum ex renibus suam trahat originem, & quod vesica ad sanguinis transmissionem plane incommoda atque inepta sit ex his rationibus, quia non adeo insignibus vasis sanguiferis irrigetur, neque æque insignem appressionem, quæ expressioni favere posset, sed potius repressionem ab interna tunica densiori concipere queat. Verum enim vero, quanquam ultro largiamur, renes propter vasa sanguifera capaciora, ab anatomicis immulgentia dicta, quæ eos plurimis ramis ingrediuntur, & propter eorum substantiam interioriorem crassiorem, vasculis & glandulis conflata, à priori non solum posse ejusmodi decubitum & congestionem sanguinis admittere, sed etiam
 poste.

posteriori & à multiplici experientia solere (utpote qua constat, quod non solum sinceri sanguinis excretio, sed & stases inflammatoriæ, nephritides tam simplices, quam calculosæ, & ulcerationes ipsis contingant) minime tamen negandum est, quod etiam ad vesicam sanguis possit copiosius congeri ac stagnare, & per illam denique, imprimis autem partem ejus superiorem sive cervicem aut collum percurrere atque excerni. Occurrunt autem circa hanc ejus cervicem non solum ramificationes venosæ, non adeo parvæ, aut minimæ, sed satis amplæ, ab hypogastricis, & hæmorrhoidalibus internis, in mulieribus etiam à spermaticis originem ducentes, sed & ejus substantia satis crassa & quasi musculosa, quin osculum cervicis musculus sphincter ambit. Clarissime autem demonstrant, quod vesica etiam interdum soleat pars affecta in mictu cruento esse, casus ejusmodi, in quibus circa lumbos & regionem renum plane nullus sentitur dolor, nec ullus etiam præcessit, aut secutus est; sed satis manifesto in infima regione pubis & circa ipsum vesicæ collum molestia & pressio quædam percipitur.

§. XX.

Duplex itaque statuimus mictus cruenti subjectum, renes nimirum atque vesicam: quæ quidem partes, tam ratione situs satis ab invicem distant, quam ratione vasorum sanguiferorum vel parvam vel plane nullam, nisi universalem intuitu totius systematis venosi, communicationem aut connexionem habent: respectu tamen negotii hæmorrhoidalis quodammodo inter se conspirant. Sicut enim hoc est vel externum vel internum, quorum hoc à vena portæ, & specialius ab ejus ramo hæmorrhoidali dicto; illud vero à vena iliaca interna, & ita maxime à distantibus inter se locis ac venis suam nanciscitur originem, & utrumque ad evacuationem sanguinis in ano tendit; ita simili, generali tamen maxime modo, sese res habere videtur in mictu cruento. Specialis enim ea intercedit differentia, quod illa sanguinis excretio, quæ per renes procedit, convenire & consentire videatur cum hæmorrhoidibus externis; quæ vero in vesicæ collo

contingit, cum iisdem maxime internis, aut cum utrisque, nexum & cognationem habere. Cum enim constrictio & toni exacerbatio, de qua tanquam causa instrumentali hæmorrhagiarum supra egimus, incumbat in hæmorrhoidum externarum apparatu ad venam iliacam internam, facile hæc etiam potest in ipsum venæ cavæ truncum, & ex hoc in emulgentes redundare, unde fit, ut sanguis in renibus stagnans, facta eorum irritatione, vel perumpat, vel inflammationem & nephritidem inducat. Cum autem vena hypogastrica, & hæmorrhoidalis externa, à quibus ad ipsam vesicam rami progrediuntur, ambæ sint propagines venæ iliacæ internæ dictæ; facta earum coarctatione, facile etiam ad hanc sanguinis regurgitatio contingere, ibique per minima ramorum illorum orificia exitum invenire potest: quo utique mechanismo sive mechanica partium structura & aptitudine connexio mictus cruenti è vesica oriundi cum hæmorrhoidibus externis, & ab his dependentibus aliis affectibus nititur. Illius autem affinitas & communio cum internis hæmorrhoidibus magis est aperta, dum vesica non solum cum intestino recto in maribus, & cum uteri vagina in foeminis est connexa, sed & ramos cum iisdem partibus ab ipsa vena hæmorrhoidali interna, testantibus Verhegenio & Heistero, accipit: hinc congesto & stagnante sanguine circa venam portæ, & ad exitum hæmorrhoidalem vergente, facta vero irritatione circa vesicam, imprimis equitatione, vel antequam fluxus per anum succedat, vel si hic in consulto fuerit suppressus, illuc excernendi tam intentio, contentio & nisus, quam ipse actus dirigitur.

§. XXI.

Hæc vero quæ huc usque circa pathologiam cruentæ mictionis sunt allata, ne gratis dixisse videamur, provocamus ad ejus supra traditam historiam & circumstantias clinicas, quæ sicut ex allegatis rationibus lumen accipiunt & illustrationem; ita his ipsis fundamentum præbent ac testimonium. Circa aliorum autem, imprimis
re-

recentiorum, qui omnes non solum actiones in corpore humano vivo ex principiis mechanicis deducere tentant, sed & hæmorrhagias spontaneas secundum leges hydraulicas & hydrostaticas institui & procedere putant, opiniones examinandas, non multum laborabimus. Primo enim longe alia res est: actiones vitales in corpore humano ex principiis mechanicis aut secundum principia mechanico-hydraulica institui; & rursus alia, easdem ab his principiis efficienter, primo & absolute produci: illud ambabus concedimus manibus; hoc vero, quod tamen videtur dissentientium sententia, dum omnem directionem, intentionem, & causam finalem in actionibus vitalibus exclusam volunt, nunquam ab ullo philosopho aut medico, qui sese mechanicum dici amat, probatum est, aut probabitur unquam. Parturiunt quidem montes, sed nascitur ridiculus mus. Secundo contra ipsa principia hydraulica crasse impingunt, dum ipsas hæmorrhagias autumant concitari ab obstructione vasorum sanguiferorum. Notissimum enim, in sociis, conjunctis & conspirabilibus canalibus humorem aliquem vehementibus & emittentibus, si unus & alter ex his obturetur, per reliquos vicinos, eadem vi impulsus, majore saltem celeritate, tantundem ejici, quam per omnes conjunctim: unde ergo est sanguinis restagnatio, & ejus tandem perruptio? non dicam, quod obstructio talis in canalibus, ubi ex minoribus & arctis ad majores & ampliores fit progressus, uti in venis, difficulter possit concipi. Sed finge, dari talem obstructionem vasorum; nonne eam statim plenaria stasis & subsistentia, hanc vero immediate coagulatio sanguinis sequetur, quæ eruptionem ejus potius impedit, quam promovebit? in subsidium quoque vocata partis sanguinem transmittentis debilitas, supra jam tacta, contra omnem est rationem, experientiam & observationes clinicas. Interim talia multis placent, & probantur non modo, sed & laudantur: nam similes habent labra lactucas.

§. XXII.

§. XXII.

Ad prognosin hujus affectus quod attinet, præterea, quæ jam supra, ubi de ejus historia & signis diagnosticis egimus, allata sunt, adhuc notandum est in genere, quod cum reliquæ hæmorrhagiæ spontaneæ abundantiam sanguinis minuendo subtrahant occasionem graviorum sive periculorum, restagnationum, stasium, inflammationum, sive damnorum, abscessionum, aut ipsius sphacili, adeoque cœconomix vitali insignem utilitatem præbeant: hæc evacuationis sanguineæ species, de qua nobis est sermo, illud habet cum ipsa hæmoptysi commune, quod ejus effectus nullus sit utilis, quin præponderent incommoda non solum, sed ipsa etiam pericula, adeoque ejus eventus sint plerumque deteriores. Quando enim cum impetu, & copia majore erumpit, ipsis medicationibus, quas exigere videtur, facile ita alteratur, ut aliud schema, quam si sibi relictus fuerit affectus pristinus, efformet; id quod imprimis per adstrictiones repentinas ipsi obtingit. Sin vero pacatius & moderatius incedens, sensim iterum requiescendo, & denuo rursus recrudescendo, longius toleretur & negligatur, de hinc sese accingit ad formandas in posterum reversiones plus minus statas, cum magna post hac pertinacia, & si immoderate supprimatur, graviorum, hydropicorum imprimis aut spasticorum & tabidorum affectuum pericula succedunt. In specie mictus cruentus renalis, præsertim assuefactus, si repente constringatur, & per remedia styptica cohibeatur, degenerat in renum inflammationem, aut in eorundem exulcerationes ejusmodi inducit, quæ post hac loco sinceri sanguinis, mucum subcruentum urinæ admiscent: quales ulcerationes etiam in pulmonibus ab hæmoptysi immediate solum adstringendo suppressa remanere solent. Cum quali deinde constitutione renum conspirant dolores varii, multi, sensibilissimi, motibus paulo fortioribus facile laceffendi, interim etiam segni quiete magis ingravescentes. Qui vero ex vesicæ collo procedit mictus cruentus, si rursus cesset aut supprimatur, in hæmorrhoides
 tole-

tolerabilissime transit & mutatur, vel eadem producit pathemata hypochondriaca, quæ ab hæmorrhoidibus emanentibus, aut vi cohibitis oriri solent. Observatum quoque fuit, quod, qui in mictum cruentum devolvuntur senes, vix diu supervivant, nisi quidem admodum commode atque libere hic fluxus ipsis succedat; alias vero familiarius intra pauciores annos perveniunt ad vitæ suæ exitum. In junioribus vero locum invenire potest illud Hippocratis effatum: sanguinem mingere, raro quidem & sine febre ac dolore, nihil mali significat, sed lassitudinum solutio fit.

§. XXIII.

In practica itaque hujus morbi tractatione, respectus habendus est, tam ad præsentem ejus statum, quam ad futurum, & ejus præservationem. Præsentis autem affectus curationem si velimus suscipere, cum ille primitus dependeat à plethora ad exitum spectante & commota, propius autem à congestione & decubitu sanguinis ad renes & vesicæ regionem descendat, & immediate ipso eruptionis actu absolvatur, uti supra explicavimus, hæc ipsa theoria duas imprimis indicationes medico suggerit ac suppeditat; quarum prima est, ut illa sanguinis commotio atque orgasmus refrenetur ac mitigetur. Secunda vero, ut ipse ejus affluxus aliquo modo, si opus sit, & prima indicatio non sufficiat, quod tamen sæpius fit, sistatur ac cohibeatur. Non autem sine rationibus, quas tamen hoc loco recensere nec tempus, neque institutum patitur, ipsius sanguinis imminutionem omittimus, quam plethora requirere, & aliis pro primaria medicatione habendam esse, videri posset, illamque nisi summa urgeat necessitas, potius ad methodum præservatoriam quam curatoriam referendam, censemus. Prima igitur nostra indicatio absolvitur ac præstatur per remedia temperantia, & orgasmum sanguinis sedantia, inter quæ eminent nitrosa, absorbentia,

D

cianna-

cinnabarina; in specie vero pulvis antispasmodicus dictus, cui pro re nata valde parum MP. de cynogl. aut trochisc. de Carabe admisceri potest. His adhibitis, si fluxus non cesset, aut restinguatur, interponantur, aut modo indicatis pulveribus addantur blanda adstringentia pro secunda indicatione præstanda; qualia sunt corallia, species de hyacintho, crocus Martis aperitivus Zwelfferi, aut antimonia-
lis Stahlii, tinctura vitrioli Martis tartarisata Ludovici, tinctura terræ catechu, quæ jam paullo fortius adstringit. E vegetabilibus pro tonico & specifico effectu laudantur succus recens urticæ minoris, & decoctum equiseti, de quibus vid. Hist. morbor. Vratisl. pag. 284. ubi & plura de hæmorrhoidibus vesicæ, uti vocantur, notatu digna inveniuntur. Porro conveniunt hedera terrestris, pentaphyllum, vinca pervinca, agrimonia, stæchas citrina, hypericum, imprimis vero virga aurea Gesneri, quæ alias pulmonum exulcerationi destinantur. E mineralibus adhuc restat à stahlio commendatum vitriolum è minera martis solari Hassiaca cum aqua pluviali extractum, atque à magmate, quod ultimo restat, difficulter crystallisabili & summe austero, crystallisando segregatum, ac denuo in aqua resolutum, atque in forma liquida ad ʒij pro dosi propinatum. Magna autem cautione opus est in adhibendis medicamentis adstringentibus, ne prius, quam erumpendi impetus, & orgasmus sanguinis fuerit mitigatus, usurpentur, aut ubi fluxus nimia peccat copia. Fortiora autem adstringentia plane abesse debent. Ad hunc scopum, cohibendi etiam effluxum, pertinent quoque VSio revulsoria in brachio instituenda. Usus etiam habere possunt externa topica, v. g. unguentum Comitissæ infrigid. Galen., abstinendo tamen à camphora. Ad statum autem morbi futurum, & ejus præservationem, si curam velimus dirigere, commendanda est depletio sanguinis vicaria, VSione in pede statis anni temporibus instituenda, ut ita causam antecedentem, nimirum sanguinis abundantiam, & ejus decubitus ad loca maxime incommoda

da

da subtrahamus. Alvum etiam semper expeditam esse con-
venit, ubi tamen inter laxantia vitanda sunt aloëtica. Dis-
suadenda insuper sunt diæta aromatica, vinosa, motus cor-
poris fortiores, animi pathemata, præsertim ira, & omnia,
quæ sanguinem nimis exagitare possunt. Hæc si pruden-
ter ordinentur, & perite administrantur, utrique mi-
ctus cruenti speciei satisfactum iri confi-
dimus.

F I N I S.



PLINII